BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DISSERTATIO
DE
INSIGNIBUS
REGIIS POLONICIS,

CONSENSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
D. III AUGUSTI M DCC XII
A PRÆSIDE

D. JOH. WOLFGANG TRIER,
P. P. ORD.
ET RESPONDENTE
FRIDERICO AUGUSTO FREUND, LIPSIENSI,
PUBLICO EXAMINI EXPONENDA.

LIPSIÆ,
LITERIS IMMANUELIS TITII.

Digitized by Google

I.

II.

III

IV.

V.

V.

V

Digitized by Google



Q. D. B. V.

Σύνοψις.

I. De re Heraldica Polonorum ſcriptoribusque de ea agentibus.

II. De teſſera Regni Poloniæ ejusque origine.

III. Quod aquila non pingenda ſit faſciam auream in pectore aut ſemicirculos in alis gerens.

IV. De interpretatione allegorica hujus teſſeræ.

V. De teſſera magni Ducatus Lithuaniæ ejusque origine.

VI. De unione Regni & magni Ducatus. De errore quodam pictorum & ſculptorum.

VII. De teſſera Archimareſchallatus Imperii ejusque origine. De gladio duplici, & an uterque peculiare quid ſignificet.

IIX. De forma crucis. De interpretatione myſtica. De galea & laciniis ad inſignia Archimareſchallatus pertinentibus.

IX. De teſſera Ducatus Saxonici ejusque origine.

X. De numero ductuum nigrorum & aureorum. Quomodo ſecundum regulas artis hos ductus verbis exprimere oporteat.

XI. De ſerto rutaceo & variis circa illud ſententiis.

XII. De galea & laciniis ad inſignia Ducatus pertinentibus. De interpretatione eorum myſtica.

XIII. Vocabulum Diverſicolor,

Digitized by Google

quod Sereniſſimo Regi noſtro in antiquo vaticinio Polonico tribuitur, ex Heraldica clare explicari poſſe, uti alia vaticinia ejusdem autoris. Digreſſio de aſtrologia ſimilibusque divinationum generibus.

XIV. XV. Aſtrologiam non totam inter ineptias eſſe referendam. Reſponſio ad argumenta diſſentientium.

XVI. Quid ſecundum ſanam rationem de Aſtrologia cenſendum videatur.

XVII. De ornatu exteriori clypei Regii.

I.

QVia ordo Nobilium in potentiſſimo Regno Poloniæ & numero & privilegiorum amplitudine eminet, facile exiſtimari poteſt, ſtudium Heraldicæ &, quæ hujus pars eſt, doctrinæ de inſignibus inter eos non negligi: inprimis cum inſignia ibi inter præcipuas prærogativas Nobilium, quibus ſolis ea gerere permiſſum eſt, referantur. Quam ob cauſſam Dreſnerus in Inſtitutionibus juris Regni Poloniæ *a*) Nobilitatem definit, quod ſit jus inſignium. Neque cuipiam ibi pro lubitu ſibi inſignia formare licet: ſed cum tota Nobilitas in certas gentes ſit diſtributa, quarum ſingulæ propria inſignia habent, ii, qui recens in numerum Nobilium ſunt recepti, in harum gentium aliquam adoptari ſolent, hujusque inſignia ipſis adhibere permittitur. *b*) Celeberrima eſt ſolennis illa adoptio, regnante Vladiſlao Jagellone facta, quo tempore Lithuania cum Polonia in unionem coiit, ubi Nobiles Poloni Lithuanos velut alienos ſurculos, uti ſcriptor quidam Polonus loquitur, *c*) ſtirpibus ſuis avitis inſeruerunt, communibusque inſignibus uti voluerunt. *d*)

Quam-

a) lib. 1. tit. 19 § 3. *b*) Hartknoch. de rep. Pol. lib. 2. cap. 5. pag. 620. *c*) Juſtæ querelæ & lacrymæ Evangelicorum in Polonia & Lithuania p. 22. *d*) Dlugoſſ. Hiſt. Pol. lib. 11. p. 340. ſq.

Digitized by Google

Quamvis vero Nobilium tanta ſit autoritas & inſignia tanto in pretio habeantur, fatendum eſt tamen, paucos ſcriptores Heraldicos ex illa gente in oris noſtris cognitos eſſe. Inter illos, qui de inſignibus ſcripſerunt, quos mihi videre licuit, eminet Simon Okolskius, qui in Orbe Polono tribus tomis edito ea, quæ ad genus, hiſtoriam & inſignia omnium gentium Polonarum & familiarum præcipuarum pertinent, quamvis multis fabulis admixtis, recenſet. Sed de Regiis inſignibus apud hunc quidem ſcriptorem fere nihil invenitur. In libro Doctiſſimi Samuelis Joachimi Hoppii de ſcriptoribus Hiſtoriæ Polonicæ *e*) allegantur Marcus Ambroſius, Martinus Schrotus & Andreas Vargotius, qui de inſignibus Regni Poloniæ ſcripſerunt: ſed nullus horum librorum in manus noſtras pervenit, de duobus etiam poſterioribus ipſe Hoppius præter titulum nihil ſe vidiſſe confitetur. Supereſt itaque, ut ea, quæ Hiſtorici Polonici de inſignibus Regni ſui ſubinde memorant, in uſus noſtros colligamus.

II.

Scutum Heraldicum Regni Polonici duo inſignia præfert, quorum altera ipſum Regnum, altera unitum cum eo magnum Ducatum Lithuaniæ deſignant. Utraque bis comparent, ſcuto in quatuor areas diviſo, quarum prima & ultima teſſeram Polonicam, reliquæ Lithuanicam exhibent: quibus in medio inſignia gentilitia Regis cujusque regnantis imponi conſueverunt. Teſſera Polonica eſt in ſolo rubro aquila argentea, alas expandens, corona, roſtro, lingua cruribusque aureis inſtructa. Originem plerique Hiſtorici hanc eſſe aſſerunt, quod Lechus urbem Gnesnam ædificaturus repererit nidum aquilarum: quæ res ſimul nomen urbi dediſſe fertur, *gniazdo* enim lingua Polonica nidum ſignificat. *f*) Dubiam hanc hiſtoriam reddere poteſt, quod certiſſimum ſit, ſeculo ſexto poſt nativitatem Chriſti, quo Lechum vixiſſe communior eſt opinio, inſignium uſum, qui hodie eſt, nondum cœpiſſe. Sed

 quia

e) §. 9. p. 16. *f*) Neugebauer. Hiſt. Pol. lib. 2. p. 40.

Digitized by Google

quia antiquiſſimis quibusque temporibus Reges ac populi in vexillis militaribus aliisque ſignis certa quadam teſſera uti ſoliti fuerunt, fieri fortaſſis potuit, ut aquila a Lecho hunc in finem electa a poſteris deinceps ſcuto Heraldico Regio fuerit inſerta. Aliam originem Piaſecius refert. *g*) Lechum & Zechum, cum adverſus Quintilium Varum Germanis ſuppetias ferrent, duas aquilas Romanas, albam & nigram intercepiſſe, & illam quidem Lecho, hanc Zecho obtigiſſe. Quod cum a Piaſecio absque teſtimonio ſcribatur, & chronologiæ repugnet, merito fidem non invenit. Florus quidem narrat, *h*) Varum in prælio cum Germanis commiſſo duas aquilas amiſiſſe: ſed reliqua, quæ Piaſecius addit, probari ex antiquitate non poſſunt. Probabilius vero eſt, originem horum inſignium arceſſendam eſſe e pretio, quo aquilæ teſſera antiquiſſimis temporibus cum inter alios populos, tum præcipue in his terrarum tractibus fuit: quamobrem videmus, omnes fere vicinas gentes ea uti, Boruſſos, Brandenburgicos, Sileſios, Moravos, Moſcovitas; olim etiam uſi eſſe feruntur Bohemi & Ungari.

III.

Aquila hæc in permultis typis æneis ac ligneis faſciam auream, quæ a dextra ad ſiniſtram deſcendit, in pectore gerens exhibetur. Brianvillius, *i*) Duvalius, *k*) aliique Galli alas ei tribuunt ad pectus aureo vinculo colligatas. Hos ex ſcriptoribus Heraldicis Germanis maxima pars ſequitur: quamvis Gallorum autoritas hac in re ſuſpecta eſſe merito debeat, utpote qui inſignia exterorum ſæpe miſere pervertunt, & quorum feciales in aula Caroli IX, cum Henricus Valeſius Rex Poloniarum electus eſſet, ignesque artificiales pararentur, inſignia Polonica argento & nigro diſtinxerunt, quod veras eorum tincturas ignorarent, quæ res mali præſagii tum ab aliquibus fuit habita. *l*) Inſignis etiam eſt error alius ſcriptoris Gallici, Hieronymi de Bara, *m*) qui Duces Saxoniæ inſignia

Re-

g) v. Balbin. Miſcell. decad. 1. lib. 2. p. 26. *h*) lib. 4 cap. 12. *i*) Jeu d'armoiries p. 124. *k*) Le blaſon p. 143. *l*) Spen. Part. Spec. lib. 3. cap. 30. p. 689. *m*) Le blaſon des armoiries p. 192.

Regnorum Poloniæ & Ungariæ in ſcuto ſuo Heraldico gerere ſtatuit, deceptus ſimilitudine inſignium Burggraviatus Magdeburgici, quæ ſunt in ſolo rubro aquila dimidia argentea & ex parte læva in ſolo argenteo quatuor trabes rubri coloris. Ut ad teſſeram Polonicam redeamus, in ſigillis, quæ a Cancellariis Regni cuſtodiuntur, & mandatis Regiis imprimi ſolent, nulla faſcia comparet, uti nec in typis accuratioribus. *n*) Occaſionem errori absque dubio dedit, quod Sigismundi tres & Stephanus Reges Poloniarum pectori aquilæ Polonicæ litteram primam nominis ſui imponere conſueviſſent: quod cum circiter per centum & viginti octo annos, ſerie fere non interrupta, continuatum fuiſſet, creditum fuit, perpetuum hoc eſſe & eſſe ornatum quempiam. Littera hæc S cum in aliis pluribus typis, tum in iis, quos Sibmacherus *o*) & Spenerus *p*) exhibent, clare ſatis exprimitur, quamvis hic opinionem Chiffletii, qui itidem faſciam obliquam eſſe putat, amplectatur. In typo ligneo, qui ſub initium librorum Martini Cromeri de rebus Polonicis tempore Sigismundi Auguſti editorum conſpicitur, aquila litteras S A in pectore gerit. Ex quibus ſatis conſtare poteſt, aquilam absque faſcia eſſe pingendam. Alius ornatus, qui non adeſſe debebat, in Matthiæ Miechovii Chronico Polonico *q*) reperitur, ubi alæ ſemicirculis in trifolia deſinentibus diſtinguuntur: quod fortaſſis phantaſiæ ſculptoris aut pictoris eſt tribuendum.

IV.

De interpretatione myſtica horum inſignium neſcio, an quid injiciam: adeo incerta ſunt & ſæpe ineptiis proxima, quæ hanc in rem afferri ſolent. Ii etiam, qui inſignia primum aſſumſerunt, myſticas interpretationes haud ſemper in mente habuerunt, & ſi habuerunt, difficile tamen eſt divinatu, quæ potiſſimum fuerint. Quia tamen credibile eſt, electionem figurarum & colorum in teſſeris, quæ perpetuæ eſſe debebant, non ſemper inconſulto impetu eſſe

n) Tableaux Geneal. des Rois de France de le Laboureur p. 9. Science Heroique de Colombiere p. 346. Armorial univerſel de Segoing p. 190. aliique. *o*) Armorial. tom. 1. p. 2. *p*) Part. ſpec. tab. 39. *q*) pag. 1.

eſſe factam, ſed ſignificationem eorum frequenter antea fuiſſe expenſam, pauciſſima dicemus de eo, quid ſub figura & coloribus his aut lateat aut latere poſſit. Aquila denotat imperium, albedo innocentiam, rubedo bellicam fortitudinem. Color figuræ indicat qualitatem internam, color clypei externam. r) Itaque hæc omnia ſignificabunt imperium innocuum erga cives & amicos, bellicoſum erga hoſtes. Sed omnia valde incerta ſunt. Singularis eſt opinio Segoinii, s) qui ſtatuit, Reges Poloniarum ideo inſignium loco aquilam volantem ſumſiſſe, ut ſignificarent, ſe præter cœlum non alios limites agnoſcere. Ad interpretationem myſticam pertinent quoque verſus in fine Statutorum Polonicorum, quæ Cracoviæ A. MDLIII prodierunt, aquilæ Regiæ ſubſcripti, quos adducere placet:

Unguibus ac roſtro pugnes, Jovis ales, acuto,
Expanſis cum alis nos diadema tegat.

Ceterum aquilam in præliis & alibi conſpectam a Polonis boni ominis loco habitam fuiſſe, hiſtoriæ memorant: t) eadem fere ratione, qua alauda in navim involans, cum Sereniſſimus Imperator Carolus VI ex Anglia in Hiſpaniam navigaret, res boni ominis viſa fuit, quod inſignia Auſtriaca olim fuerint alaudæ quinque aureæ in ſolo cæruleo. Quamvis Galli etiam alaudæ conſpectum parem ob cauſſam inter omina ſibi proſpera referant, Thuano teſte in hiſtoriarum libris. u) *A curioſis*, inquit, *obſervatum*, *dum verba faceret Monlucius; toto eo tempore alaudam, veterum Gallorum inſigne, in ſummo malo, cui tentorium innitebatur, immotam conſtitiſſe & modulato cantu Monlucii orationem veluti proſecutam fuiſſe, tum eo perorante evolaſſe.*

V.

Pergimus ad ſcuti Polonici quadrantem ſecundum & tertium, inſignitum teſſera Lithuanica, quæ eſt in ſolo rubro eques cataphractus

r) Gritio delle arme di Nobiltà p. 53. s) La ſcience du blaſon p. 67. t) Hadlubko Hiſt. Pol. lib. 4. cap. 14. u) lib. 56. p. 1240.

Digitized by Google

ctus argenteus, tenens dextra gladium ſtrictum ſuper caput elevatum, ſiniſtra ſcutum cœruleum, cruce Patriarchali aurea ſignatum, inſidens equo currenti itidem argenteo, cœruleis phaleris & aureis ſtapedis inſtructo. Tincturæ a B. Spenero aliisque ita deſcribuntur, uti nos deſcripſimus. Sed veteri ævo totus eques cum equo ſimpliciter argenteo colore pictus fuiſſe videtur, cum Hiſtorici antiquiores nullius alius tincturæ mentionem faciant, uti nec roſtri, linguæ, cruriumque auratorum aquilæ Polonicæ. Videntur hæc ſucceſſu temporis majoris ornatus gratia fuiſſe addita, utque regulæ Heraldicæ, quæ avium roſtra, linguas & crura cum unguibus alius tincturæ eſſe jubet, ſatisfieret. De origine horum inſignium Chriſtophorus Varſevicius *x*) hæc refert. Francos & Sarmatas olim arma junxiſſe & multa fortiter geſſiſſe. Ad conjunctionem hanc utriusque nationis ſignificandam in publicis inſignibus Sarmaticis binos equites ſtricto gladio pictos fuiſſe. Equitatu enim gentes illas pollere, & utrasque bellum inprimis amare, cui inter Sarmatas fœminæ quoque adeo fuerint deditæ, ut connubio indigna haberetur, quæ non tres viros occidiſſet. Atque inde ſucceſſu temporis nata eſſe inſignia Lithuanica, equitem unum præferentia. Deſiderandum eſt, ut huic relationi fides conſtet, idoneum teſtimonium. Okolskius dicit, *y*) Narimundum, magnum Ducem Lithuaniæ, dimiſſis antiquis armis gentilitiis, primum equite hoc uſum eſſe. Quænam vero fuerint antiqua illa arma, mihi quidem non conſtat. Sed fortaſſis fuerunt columnæ quatuor in campo argenteo. Alexander Guagninus enim vexillum magni Ducatus, olim in pompa funebri Sigiſmundi Auguſti prælatum, ita deſcribit: *z*) *Vexillum rubeum equo currente cum equite armato gladium ſupra caput tenente, ex alia parte quatuor columnis inſigniebatur in campo rubeo.* Credibile vero eſt, antiquam teſſeram in vexillo illo cum nova fuiſſe conjunctam, uti in inſignibus Hungaricis, Burgundicis aliisque factum

B vide-

x) de origine generis & nominis Poloni p. 46. *y*) Orb. Pol. tom. 1 p. 544 gente *Korec.* *z*) Sarmat. Europ. in deſcript. exequiarum Sigismundi Auguſti.

videmus. Illud certum eſt, quisquis denique autor ſit inſignium hodie uſitatorum, elegiſſe eum teſſeram genio gentis convenientiſſimam, quippe quæ equitatu maxime valet & gaudet equis. Okolskius ait: *a) Gladius & equus præſtantia ſunt arma Polonis.* & Hercules Saxonia, *b) Poloni*, inquit, *natura ita equos amant, ut mortuos, maxime illos, in quibus cum hoſte certarunt, ſepultura mandent.* Ii, quibus inſignia Sclavonica, brachium rubrum enſe armatum in clypeo aureo exhibentia, inſtituto effreni & barbaro aſſumta videntur, *c)* hæc quoque inſignia barbarum quid & effrene ſpirare exiſtimabunt: id quod tamen ego affirmare noluerim, quamvis Lithuani, quo tempore iis uti cœperunt, barbari omnino adhuc fuerint. Originem crucis Patriarchalis ſeu Ungaricæ a Ludovico Rege, qui ſimul Ungariam rexit, arceſſere ſolent. *d)* Alexander Guagninus *e)* vexilli cujusdam *Goncza* dicti mentionem facit, cruce duplici in campo laſurino inſigniti, quod in exequiis iidem Regis Sigiſmundi Auguſti poſt vexillum Lithuanicum ante vexillum Cracovienſe prælatum fuit.

VI.

Dicenda ſunt hoc loco quæpiam de tempore ac ratione, qua Polonia & Lithuania atque utriusque inſignia unita fuerunt: quamvis pleraque notiora ſint, quam ut iis diu immorandum eſſe videatur. Facta eſt hæc conjunctio, de quo ſupra jam mentionem injecimus, tempore Jagellonis, magni Ducis Lithuaniæ, qui poſt mortem Ludovici Ungarici A. MCCCLXXXV Rex electus & in baptiſmo nomen Vladiſlai adeptus eſt. Magnæ difficultates ſubortæ ſunt, antequam res hæc ad felicem exitum perduci poſſet, inprimis quod Lithuani idololatriæ adhuc dediti eſſent, & filia Regis defuncti, quæ jam antea Regina electa & Wilhelmo Auſtriaco deſponſata fuerat, a conjugio Jagellonis, quem deformem, agreſtem & barbarum

a) Tom. I. p. 405. gente *Koilenczic.* *b)* de Plica p. 207. *c)* Giov. Germ. Princ. lib. I. cap. 7. pag. 455. *d)* Buſſingii Einleitung zur Herolds-Kunſt in inſign. Polon. *e)* loc. cit.

barum eſſe retulerant, abhorreret. Autor continuationis, Dusburgii Chronico Pruſſico ſubjectæ ſcribit: *f*) *A. MCCCLXXXV Poloni Dominum Wilhelmum, Ducem Auſtriæ, Dominæ Hedwigi Reginæ Poloniæ matrimonialiter, imo carnaliter copulatum de Regno & uxore repulerunt, & dictam Dominam Jagel' Regi Lithuanorum pagano in uxorem tradiderunt, eam ad hoc vi impellentes, quod ipſa ſic coacta fecit doloroſa.* Verum ſcriptores Poloni plerique circumſtantiam hanc de conſummato matrimonio negant. Matthias de Miechovia *g*) fatetur quidem, Hedwigin crebro cum Wilhelmo verſatam eſſe & in refectorio S. Franciſci Cracoviæ choreas cum eo duxiſſe, ſed honeſtiſſime: antequam autem ſponſus carnali copula potiretur, cum injuria & dedecore a Nobilibus Polonis fuiſſe repulſum. Neugebauerus refert, *h*) Gnievoſſium Dalevicium, Succamerarium Cracovienſem clam apud Regem Hedwigin uxorem inſimulaſſe, quod Wilhelmus Auſtriacus aliquot diebus cum ea conſueviſſet. At Reginam Regi jurejurando ſatisfeciſſe. Contra Gnievoſſium vero judicium infamiæ inſtitutum fuiſſe, ex cujus decreto coactus fuit clara voce & ſubter ſcamno latratu edito profiteri, ſe mentitum eſſe. Dlugoſſus videtur ipſe neſciſſe, quid hac de re ſtatueret. Refert enim initio, *i*) Reginam quidem cum Wilhelmo chorearum ſolatiis, ſed parco & caſtigato atque honeſtiſſimo moderamine, fuiſſe uſam, &, matrimonio nondum conſummato, ſponſum ab omni carnali commercio cura Baronum fuiſſe ſequeſtratum. Sed paullo poſt ſubjungit, *k*) Hedwigin ideo diutius Jagelloni obluctatam & vix tandem precibus optimatum ad conſentiendum inductam fuiſſe, quod probe noſſet, matrimonium ſecundum contrahendum, priori obſtante, legitimum fieri non poſſe. Facinus quoque adulterii exhorrentem, alteris nuptiis ſuam contaminare pudicitiam amarius morte putaſſe. Sciviſſe enim, plerisque non ignotum eſſe, quod cum Wilhelmo poſt

f) pag. 429. *g*) Chron. Pol. lib. 4. cap. 38. *h*) Hiſt. Pol. lib. 5. p. 234. *i*) Hiſt. Pol. lib. 10. p. 102. *k*) p. 105.

Google

contracta de præſenti ſponſalia quindecim diebus in thoro, carnali etiam copula ſubſecuta, manſiſſet. Quicquid ejus ſit, Vladislaus Rex cum Hedwigi, fœmina & formæ pulcritudine, qua parem ei in Europa nullam fuiſſe Dlugoſſus teſtatur, & pietate bonisque moribus ſuis celebratiſſima, conjugio pacato & felici, quamvis heredibus deſtituto, uſus eſt: fuitque copula eorum ſimul copula tot ſpatioſiſſimarum provinciarum, quæ ad hunc usque diem durat, Regnumque Poloniæ hoſtibus ſuis formidandum reddit. Illud adhuc addendum, equitem Lithuanicum ſemper facie ad dextram converſa eſſe exprimendum. In Sibmacheri Armoriali, *l*) Okolskii Orbe Polono, *m*) aliisque libris eques tertii quadrantis ita typo expreſſus comparet, ut faciem verſus ſiniſtram obvertat, ne ſcilicet eques ſecundæ, aut aquila quartæ regionis partem poſteriorem equitis illius reſpiciat. Id vero ideo locum habere nequit, quia, ut crux Patriarchalis conſpiciatur, eques non aliter quam ſcutum in dextra gerens, gladium in ſiniſtra, pingi poteſt, uti & in typis jam memoratis pictus reperitur. Neque autem legem decori, quamvis hæc, de qua loquimur, nullibi in Heraldicis fundata ſit, ita ſequi convenit, ut lex naturæ violetur.

VII.

Parmula media ſcuto Polonico inſita in longitudinem ſecta eſt, exhibetque inſignia Archimareſchallatus Imperii & Ducatus Saxoniæ. In dextra regione, ſuperius nigra inferius argentea in decuſſim poſiti ſunt gladii duo rubri, cuſpidibus ſurſum verſis, indicantes dignitatem Archimareſchalli Imperii, a Sigismundo Imperatore A. MCCCCXXIII Sereniſſimæ domui Marchionum Misniæ cum dignitate Electorali, quæ propria inſignia non habet, *n*) collatam. Præcipua munia Archimareſchalli ſunt, ut in coronatione aliisque actibus ſolennibus Imperatori gladium præferat, ut in expeditionibus bellicis ab Imperatore ſuſceptis vexillum Imperii gerat, ut in civitate, ubi comitia celebrantur, jurisdictionem in pere-

grinos

l) p. 2. *m*) ſub initium. *n*) Europ. Herold. t. 1. p. 260. b.

grinos exerceat, aliaque nonnulla, de quibus a juris publici conſultis fuſius agi ſolet. *o*) Origo horum inſignium non conſtat: videntur tamen ipſi dignitati Archimareſchallatus coæva eſſe. Quod duplex ſit gladius, ejus rei credibile eſt non aliam eſſe cauſſam, quam cum in inſignibus quadratis eadem regio bis comparet. Nimirum veteribus Heraldis, quorum placita poſteris legum loco ſunt, interdum duplicia ſimplicibus elegantiora ſunt viſa. Tantum vero abeſt, ut duplex plus ſignificet ſimplici, ut potius in inſignibus Hohenzolleranis duplex ſceptrum ſit, quod in Brandenburgicis ſimplex eſt, illo dignitatem Camerarii inferiorem, hoc ſupremam notante. Fieri tamen potuit, ut mos antiquorum temporum, quo plerique Principes Imperii gladium, ſignum ſuperioritatis Principalis, manu tenentes in nummis exprimebantur, occaſionem duplicandis gladiis dederit. Illud autem credi vix poteſt, altero gladio ſignificari ſuperioritatem Principalem, altero munus Archimareſchalli. Id enim ſi verum eſſet, Comites de Pappenheim non potuiſſent eadem inſignia accipere, quod recte a B. Spenero *p*) fuit monitum. Significatur autem ſuperioritas Principalis clypeo rubro abſque figura in inſignibus Saxonicis. Quæ res noſtram ſententiam confirmat, quia credibile non eſt, eandem rem diverſis inſignibus, hisque diverſo loco poſitis, in eodem clypeo notari: inprimis cum teſtimonium fide dignum afferri non poſſit, Principes unquam in ſignum ſuperioritatis territorialis gladium in inſignibus geſſiſſe, & ſi geſſerint, incongruum videatur, eminentem dignitatem Archimareſchallatus cum ſuperioritate tot aliis Principibus ac domibus communi in unico clypeo miſceri & confundi.

VIII.

Neque in forma crucis, in quam gladii ſunt diſpoſiti, quidquam myſterii latere exiſtimaverim, cum figurarum duarum in for-

o) Id. c. 1. p. 250 & 837 ſqq. Dn. Hornii Jur. publ. cap. 32. §. 3. p. 250. *p*) de inſign. Sax. §. 34. p. 24.

ma crucis Andreanæ facta trajectio in inſignibus frequenter admodum reperiatur, ſimilique modo magnates alii inſtrumenta, quibus dignitas ipſorum deſignatur, decuſſent: quod videre licet in ſcipionibus Mareſchallorum Franciæ *q*) aliisque permultis, ubi inſtrumenta dignitatis, ſi hæc non ſit hereditaria, retro clypeum, non in illo, poſita apparent. Non tamen nego, potuiſſe autores inſignium in his interdum reſpicere ſignum illud ſalutare, in quo non ſolum Principes, ſed omnes Chriſtiani vincunt, cujus illis inprimis temporibus, quibus uſus inſignium potiſſimum invaluit, maximus cultus erat, cum nempe Pontifices Romani eos, qui ſacram militiam in Aſia ſequebantur, hoc ſigno fidei erga eccleſiam ſuam ſignarent: in quibus bellis Saxones peculiari crucis genere, nempe viridi, uti Itali cœruleo, Hiſpani rubro, aliique populi aliter tincto inſigniti fuiſſe perhibentur. *r*) Huic religioni in cruce colenda tribuendum etiam eſt, quod in antiquis nummis figura crucis tam crebra ſit, adeo ut in iis Imperatores interdum quinquies & amplius cruce ſignati conſpiciantur. Cum certum ſit, his gladiis notari munus Archimareſchalli, ſupervacuus eſt labor illorum, qui alias ſignificationes quærunt: quamvis diſtichon antiquum ab Albino *s*) allegatum, iisdem ſimul debellationem infidelium Venedorum indicari velit:

Zwey Schwerdt das Marſchall-Amt bedeuten,
Die Wendſchen Heyden auszureuten.

Ceterum hæc inſignia gladios exhibentia Regi Poloniarum inprimis optime conveniunt, cum fortiſſima hæc natio dudum decus ſuum & tutamen in armis quæſiverit: quam ob cauſſam celeberrimus Plocenſium Epiſcopus, Stanislaus Lubienskius in oratione funebri Sigismundo III dicta, *t*) *Reges Poloniæ*, inquit, *ſemper in armis eſſe oportet.* Galea alias clypeo huic imponi ſolita coronam auream

q) v. la ſcience heroique de Mons. de la Colombiere p. 536 n. 8. *r*) L'Art Heraldique de Baron p. 239. *s*) Chron. Miſn. p. 435. *t*) Oper. poſthum. p. 490.

Digitized by Google

auream geſtat cum duobus cornibus bubali, ſuperius nigris, inferius argenteis, e quorum utroque quinque, interdum etiam plura aut pauciora vexilla, itidem nigro & argento diſtincta dependent. Laciniæ ſecundum regulas artis in Germania receptas nigræ & argenteæ eſſe debent. Hæc galea, quæ in innumeris veteribus nummis clypeo Archimareſchallatus ſeparatim impoſita conſpicitur, plerumque cum galea Ducatus Saxonici ita unitur, ut illius cornua pileum hujus circumdent: cujus rei cauſſa abſque dubio eſt, quod Elector ſit primarius Dux Saxoniæ,& hæ duæ dignitates arctiſſima unione contineantur.

IX.

Latus ſiniſtrum diſtinguitur decem transverſis ductibus nigris & aureis, ſuper quos a dextra ad ſiniſtram oblique dependet ſertum rutaceum viride. Inſignia hæc ſunt Ducatus Saxoniæ, qui una cum Electorali dignitate ad Sereniſſimam domum Marchionum Miſniæ pervenit. Origo eorum ab Alberto Cranzio *u*) & plerisque ſcriptoribus reliquis hæc fuiſſe traditur. Cum Fridericus I Imperator Romanus Ducatum Saxoniæ, pulſo Henrico Leone, a quo Duces Brunſvicenſes originem ducunt, Bernhardo Aſcanio contuliſſet, petebat hic ab Imperatore, ut inſignia domus ſuæ diſcerniculo quodam ab inſignibus Agnatorum diſtingueret. Eſt autem clypeus domus Aſcaniæ ſolis alternis lineis nigris & aureis obductus, quem adhuc hodie Sereniſſimi Deſcendentes ex illa domo retinent, eſtque teſſera Comitatus Ballenſtadienſis. Imperator, qui tum ob calorem corollam rutaceam geſtabat, hanc ex obliquo Principis clypeo injectam perpetuum familiæ ejus inſigne eſſe jubebat. Hiſtoriam hanc Vir Saxonicarum rerum peritiſſimus, Wilhelmus Erneſtus Tenzelius *x*) in dubium vocat, quod in nummis bracteatis Bernhardi trabes abſque ſerto compareant, & quod parum veroſimile ſit, Imperatorem die natali Chriſti, quo inveſti-

tura

u) Saxoniæ V, 25. *x*) Supplem. ſecundo Hiſt. Goth. p. 442. ſqq.

Digitized by Google

tura fuit celebrata, ob calorem ſerto rutaceo fuiſſe uſum. Quæ argumenta an rem conficiant, aliis dijudicandum relinquo. Poſterius certe non magni ponderis eſſe videtur, cum Bernhardus augmentum illud inſignium ſuorum non in ipſo actu inveſtituræ accepiſſe dicatur, ſed alio tempore, poſtquam Imperator pranſus erat. Hæc circumſtantia quoque facit, ut hiſtoriæ illi probabilitas ſua conſtet, etiamſi ipſo die natali Chriſti contigiſſe dicatur: nam Germanorum mos eſt, ut inter prandendum, quamdiu cadi nondum ſiccati ſunt, raro frigeant, inprimis die feſto tam ſolenni. Accedit, quod Germani ab antiquiſſimis temporibus raro caminis, ſemper fere fornacibus utantur, quorum calor in intenſiſſimo frigore cœli ſudorem elicere poteſt. Quod ad prius argumentum attinet, inquirendum eſt antea, annon nummi bracteati, quos B. Tenzelius allegat, jam ante dignitatem Bernhardo collatam cuſi ſint, & ſi poſtea cuſi, annon tamen antequam inſignia ita ab Imperatore fuerint diſcreta. Aliam horum inſignium originem nonnulli memoriæ prodiderunt. *y*) Nimirum Principem quendam Saxoniæ jam ante Bernhardi tempora Venetiis inter peregrinandum amore virginis captum, cum ob humiliorem conditionem ducere eam in matrimonium impediretur, quia fortaſſis virgines Venetæ illo tempore medium illud ſummorum Principum connubiis dignas ſe reddendi per adoptionem a Senatu impetratam, quod poſtea aliquoties factum eſt, adhuc ignorabant, tempore diſceſſus ſertum rutaceum a puella dono datum diſcerpſiſſe, dimidiumque inſignibus ſe adjuncturum promiſiſſe, altera parte ipſi puellæ reddita, ut eſſet extremum impenſi amoris monumentum. Mirandum eſt, hæc doctiſſimo viro, Theodoro Hœpingio, *z*) probabilia videri potuiſſe, cum fabulam Romanenſem valde ſapiant, & ab amatore quodam talium hiſtoriarum conficta eſſe merito videantur. Etiamſi tamen hæc vera eſſent, non magis ideo dignitati inſignium Saxonicorum

rum

y) Albini Sæchſiſches Stamm-Buch p. 208 ſeq. *z*) Jur. inſign. cap. 6. n. 712.

rum quidquam decederet, quam dignitati ordinis periſcelidis, cujus non diſſimilis origo fuiſſe perhibetur.

X.

Numerus ductuum olim penitus incertus fuit: in antiquis enim nummis bracteatis interdum ſex, interdum quinque occurrunt, interdum alius numerus. Hodie plerumque decem, frequenter etiam octo conſtituuntur. Supremus eorum niger eſt, non aureus: id quod ipſius Sereniſſimi Electoris Johannis Georgii II teſtimonio, quo illuſtrius adduci non poterit, confirmat in doctiſſima diſſertatione de Ruta Saxonica a) ante annos plus quam quadraginta habita Theologus maximi nominis, Adamus Rechenbergius, qui gloriam avitam Sereniſſimæ Domus Saxonicæ, editis compluribus elegantiſſimis diſſertationibus, evolutam dedit, & æque ac ipſius ſocer, B. Philippus Jacobus Spenerus, cum Theologica ſcientia amœniſſimum hoc atque utiliſſimum Heraldicæ ſtudium conjunxit. Diſcrepant inter ſe, qui de inſignibus Saxonicis ſcripſerunt, b) utrum trabes ſint, an faſciæ, an ductus tantum variegati & faſciarum vel trabium inſtar poſiti. Poſtremum ceteris eſt præferendum, & ſecundum regulas artis ii minus accurate loqui cenſendi ſunt, qui dicunt, eſſe decem trabes vel faſcias. Nam trabes & faſciæ inter figuras referendæ ſunt: fieri vero non ſolet, ut figuræ totum ſcutum impleant, nec hujus tinctura vel tincturæ ulla ex parte appareant. Hæc regula tam ſollicite ſemper fuit obſervata, ut, cum familiæ nonnullæ ſcutum ſolo vellere Pontico, quod *Hermelin* vocatur, aut vellere vario, quod *Eiſenbütlein* appellamus, obductum gererent, veteres Heraldi has pelles inter tincturas, quamvis contra naturam, retulerint, quod hæ quidem absque figuris crebro eſſe ſoleant, figuras autem absque illis eſſe, nimis incongruum videretur. Quam ob rem Galli & Itali, ſi numerus

a) A 4. a. b) v. Spen. de Inſign. Sax. p. 6. ſq.

ductuum par eſt, non eos appellaverint faſcias, ſed clypeum appellant faſciatum, hoc eſt, tincturis duabus in modum faſciarum obductum. *Burellé d'or & de ſable de dix pieces. Faſciato d'oro e di negro di dieci pezzi.* Si numerus ductuum impar eſſet, exempli cauſſa novem, quem numerum vetus codex manu ſcriptus Dobrilugenſis a Celeberrimo Struvio *c*) allegatus nominat, tum dici poſſet, eſſe quatuor trabes vel faſcias nigras in ſcuto aureo. Gallice, *d'or à quatre burelles de ſable.* Italice, *d'oro con quattro faſcie nere.* Quod ad illud attinet, utrum melius dicatur, ductus illos faſciarum inſtar poſitos eſſe, an trabium, ſciendum eſt, in lingua Germanica neceſſario *trabium inſtar* eſſe dicendum, cum quod & alias ductus tales his verbis deſignare ſoleant, quamvis nonnulli etiam vocabulum *Binde*, quod faſciam notat, uſurpent, tum ob homonymiam nominis *Ballenſtadium*, quod idem eſſe traditur ac *Bàlkenſtadium*, urbs trabium. *d*) Nam veteres Germani æque ac aliæ nationes, quod inprimis de Polonis probat Hartknochius, *e*) crebro uſurparunt inſignia æquivoca ſeu loquentia. Inter Gallos & Italos moris eſt, quod nos appellamus trabem vel trabis inſtar poſitum, id ſemper dicere faſciam vel faſciæ inſtar poſitum: quare recepta iſta loquendi forma etiam in deſcribendis inſignibus Saxonicis, ſi id quidem linguis illis fiat, erit ſequenda. Latine parum referet, utro modo blaſonatio fiat: ſed præſtat tamen in inſignibus Germanicis Germanicum loquendi modum ſervare.

XI.

Quod attinet ad ſertum rutaceum, ſunt aliqui, qui aliud quidpiam eſſe exiſtiment. Conſultiſſimus Vir, Georgius Paulus Hoenius, *f*) mavult eſſe ſertum ex trifoliis conſtans, quod etiam Hen-

c) Differt. de Ruta Saxon. p. 32. *d*) Pomarii Sæchſiſche Chron. p. 161. *e*) de Rep. Polon. II, 5. p. 558. *f*) Sæchſiſche Wapens-und Geſchlechts-Unterſuchung p. 10 ſqq.

Henricus Spelmannus exiſtimat, *g*) vel coronam dimidiam Regiam aut Ducalem, cujus ſententiæ eſt Autor Trophei armorum, *h*) vel denique balteum, ſeu uti Germani loqui ſolent, trabem obliquam, quæ poſtrema opinio Sylveſtri de Petra Sancta, *i*) Duvalio *k*) aliisque placuit. Autor Heraldicæ curioſæ *l*) ſimile ſertum rutaceum, quo Nobiles de Maſchwiz in ſcuto ſuo utuntur, appellat balteum floridum, *Blumen-Streiff.* Ante aliquot annos etiam ſupra laudatus Jenenſium Profeſſor, Burchardus Gotthelff Struvius peculiari diſſertatione de Ruta Saxonica probare nixus eſt, eſſe balteum, non ſertum. Verum nondum video, cur a ſententia antiqua, quæ jam ab aliquot ſeculis in domo Saxonica & inter eruditos fuit recepta, recedendum ſit: cum parum veroſimile videatur, potuiſſe hanc ſententiam conſenſu tam communi recipi, niſi aliquo fundamento niteretur. Argumenta, quæ pro nova ſententia adferuntur, nimium ſunt debilia. Dicunt, inter omnes rutæ ſpecies nullam eſſe, cujus folia figuræ folii, quæ in clypeo eſt, accedat. Sed primum figura illa non denotat folia ſimplicia rutæ, ſed globulos foliorum & ramuſculos conſertos, nam a ſerendo ſertum dicitur, & in formam corollæ diſpoſitos. Deinde non ſequitur, quia figura non accurate rei ipſi reſpondet, ut propterea aliud ea denotari credendum ſit. In ſcuto Gallico forma liliorum multum diſcrepat a naturali, & in inſignibus Brenenſibus figura cornuum ſcarabæi, aut foliorum nymphææ, aut fibularum pugionum, aut quicquid denique eſſe dicantur, nihil horum exacte refert: id quod ruditati pictorum & ſculptorum, qui priſcis ſeculis erant, & licentiæ Heraldicæ, qua in re ſcientia hæc cum Poëſi aliquam affinitatem habet, eſt attribuendum. Autoritas veteris MS. Dobrilugenſis, ubi dicitur, *tractus transverſos clypei cancellari ab uno tractu veniente de ſuperiori cornu dextro ipſius clypei*, non videtur

 eſſe

g) Aſpilog. p. 139. *h*) Le Trophée d'Armes p. 57. *i*) Teſſer. Gentil. pag. 129. *k*) Le blaſon de Mr. du Val. pag. 153. *l*) p. 174. conf. Upton. de ſtudio milit. pag. 233.

eſſe magni momenti. Cum enim tractum appellat, non eo ipſo negat, hoc tractu ſignificari ſertum. Eodem modo licet balteum appellare, modo per hunc idem ſignificetur, quod illic per tractum, hoc eſt, figura clypeum oblique a ſummo ad imum permeans. Hoc ſenſu uſurpavit vocabulum illud Sylveſter a Petra Sancta *m*) his verbis: *Singularis eſt quoque balteus ſuperne aſperatus quibusdam velut floſculis inſtar coronæ, quem balteum rutæ mitellam feciales appellant.* Non autem negat propterea Sylveſter, poſſe hoc balteo deſignari coronam rutaceam, quod ex verbis ſubjectis patet. *Hic balteus*, inquit, *inſtar coronæ rutaceæ expictus eſt.* Adeoque ex his verbis concludi nequit, ex regula quadam Heraldica, qualis nullibi extat, non ex ſerto Friderici rutæ appellationem ortam eſſe. Illud diffiteri non poſſum, in nummis nonnullis antiquis, quorum aliquot habeo, globulos foliorum rutæ ita exprimi, ut referant figuram rhombi dimidii, quem Galli *lozenge* vocant, Germani *raute*, quod eſt illud ipſum vocabulum, quo etiam rutam herbam deſignamus. Significavit autem olim *raute* omne id, quod quadratum eſt, angulo ſurſum verſo: cujus rei veſtigia ſuperſunt in Belgio, ubi feneſtrarum vitra, quæ ſunt hujus formæ, item figura rhomboides, quæ in chartis luſoriis eſt, & Gallice *quarreau* dicitur, hoc nomine appellantur. Fieri utique potuit, ut figura, quæ nobis ſertum rutaceum videtur, olim fuerit tantummodo figura, quam honorabilem vocamus, ſeu balteus cum ornatu rhomboide ad latus poſito, utque loco *Rauten-Band* vel *Rauten-Straſſe*, poſtquam ſignificatio priſca vocabuli *Raute* evaneſcere cœpit, dictum fuerit *Rauten-Kranz*. Quamvis hæc conjectura ſententiam virorum doctiſſimorum, qui figuram honorabilem eſſe rentur, magis probabilem reddere videatur, quam argu-

m) Teſſer. gentilit. loco cit.

Digitized by Google

argumenta, quibus ipſi eam defenderunt: nolim tamen a ſententia communi recedere, cum nondum dubium omne ſit ſublatum. Præſtat enim in dubio id ſequi, quod communius eſt, inprimis ſi erraſſe non poſſit eſſe magni periculi, ut tamen contrarium clare probanti animo præjudiciorum tenace non reſiſtatur.

XII.

Galea coronata, quæ alias ad inſignia Ducatus Saxonici pertinet, conſpicua eſt pileo, quem alii ob altitudinem columnam, alii cornu copiæ, *n*) cujus figuram tamen vix refert, eſſe arbitrantur, ad modum clypei ornato & præterea coronam itidem auream cum pennis pavoninis geſtante. Laciniæ utrinque dependentes nigræ & aureæ pingi ſolent. Quamvis enim regula Heraldica exterorum velit, ut laciniæ ſingulas tincturas clypei & figurarum referant: Germani tamen libere interdum plures tincturas referunt, inprimis ſi ſolum clypei pluribus tincturis inſignitum ſit, plerumque vero duabus, aliquando etiam unica tantum utuntur. Solent autem, ſi ſolum clypei duabus tincturis diſtinguatur, has in laciniis referre, omiſſa tinctura figuræ, uti ex hoc exemplo, itemque inſignibus Oettingenſibus, quorum laciniæ aureæ ſunt & rubræ, aliisque permultis apparet. Cujus rei ratio eſſe videtur, quod tincturæ ſoli ſint requiſitum magis eſſentiale inſignium quam figuræ, uti ſupra obſervatum: quamvis hæ magis in oculos incurrant, adeoque nobiliores illis ſint habendæ. Neque enim ſemper ea, quæ ſunt nobiliora, eo ipſo magis ſunt neceſſaria atque eſſentialia. Quod ad ſignificationem myſticam rutæ attinet, Henricus Spelmannus ait, *o*) denotari ea hominem integrum ſerpentiniſque moribus inimicum. Fridericus Taubmannus ita de ruta ſcribit: *p*)

n) Dn. Ludewig Germ Princ. III, 7, 2. *o*) Aſpilog. p. 139. *p*) Dn. Rechenb. Diſſert. de Ruta Saxon. C. 3. b.

Utque virore ſuo gerat immortalis honorem,
Utque oculos acuat, perimatque comeſta venenum,
Serpentumque peroſa genus vel nominis umbra
Arceat, in nullo ſuccreſcat læta fimeto.

Clypeus totus, qui in medio inſignium Polonicorum poſitus eſt, tegitur mitra Electorali purpurea, oram habente reductam & vellere Pontico ornatam: de cujus generis mitris digna lectu ſunt, quæ celeberrimus Vir, Johannes Petrus Ludovicus, in doctiſſimo libro de re nummaria Germanica medii ævi patria lingua edito diſſerit. *q*) Ex interpretationibus allegoricis, quæ de utriſque inſignibus tam Archimareſchallatus quam Ducatus ſimul ſumtis a nonnullis dari ſolent, lubet hoc loco adducere epigramma Michaëlis Barthii, Profeſſoris quondam Lipſienſis, ad Auguſtum Electorem: *r*)

Quam bene cum gladiis rutacea juncta corona eſt!
Enſes bella notant, otia ſerta notant.
Enſiferi novere Duces bellique labores,
Aurata & qua pax digna ſit arte coli.
Enſiferi decreta gerunt pro Cæſare bella,
Ornat victoris læta corona caput.

Denique adhuc ſubjungenda videtur meditatio B. Lutheri, qui in inſignibus ac monetis Principum loco ſerti rutacei aut leonis panem poni mallet, ut oſtendatur, nos Principum officio tutelam ac pacem habere, neque ſine illis aut panem edere, aut eundem ſervare poſſe. *s*)

XIII.

q) pag. 95. ſeq. *r*) Diſſert. Da. Rechenb. C. 4 a. *s*) Spen. Part. Gen. p. 259.

Digitized by Google

XIII.

Notandum eſt, medio hoc clypeo, quem deſcripſimus, omnes fere colores in inſignibus uſitatos contineri. Aureus ex parte eſt clypeus Ducatus Saxonici, argenteus clypeus dimidius Archimareſchallatus, uterque nigro diſtinctus, gladii ſunt rubei, ſertum viride. Solus color cyaneus deeſt, qui tamen comparet in orbibus pavoninis galeæ Saxonicæ imponi alias conſuetis. Videmus jam genuinum ſenſum, quo accipi debeat celebre vaticinium Polonicum, quod Sereniſſimo Regi noſtro vocabulum *Diverſicolor* tribuit. Nimirum interpretatio quærenda eſt in inſignibus, e quibus etiam multa ex ceteris vaticiniis ejusdem autoris de priſcis Regibus Poloniarum interpretanda fuerunt. *t*) Ita enim de Henrico legitur *Flos de Valle*, quod lilia in inſignibus gereret, & eſſet e familia Valeſiorum ortus. De Johanne Caſimiro *Manipulus ſterilis*, quod clypeus ejus gentilitius manipulum frugum præferret, & quod liberis careret. De Michaële *Noctis breve ſidus*, quod teſſera familiæ ejus eſſet luna *u*) & quod brevi tempore regnaverit. Ceterum ne quis exiſtimet, dum hoc vaticinium interpretor, me eo ipſo approbare inania ſomnia Aſtrologorum aliorumque, qui absque ullo fundamento vaticinia diſſeminare audent: pauca quædam de natura ac fundamento harum prædictionum inſeram. Alia etiam eſt cauſſa, quæ me ad brevem hanc diſcurſionem faciendam movet. Nam cum ſchediaſma hoc publicæ disquiſitioni ſit ſubjiciendum, neque inficiandum ſit, pleroſque hodie in Heraldica aut plane non aut mediocriter admodum eſſe verſatos, adeoque quæſtionibus Heraldicis impugnandis non ſatis inſtructos: habebunt jam quidpiam, quo ictus ſuos intendant.

XIV.

Principio non pugnat cum ſana ratione hæc ſententia, quod futura

t) Sam. Joach Hoppii ſchediaſma de Scriptor. hiſt. Polon. §. 46. p. 118. *u*) V. Seer aerdig en net Wapenboek in inſign. Polon.

Digitized by Google

futura poſſint prædici, non ſolum inſpiratione Dei ſingulari, aut prudenti conſideratione cauſſarum ac circumſtantiarum, de quo absque dubio nemo Lectorum ambiget, ſed etiam cognitione aſtrorum aliisque donis naturalibus. Licet enim modum ac viam, qua prædictiones iſtæ fieri poſſint, non cognoſcamus, vix tamen ullum argumentum falſius eſſe poteſt, licet vix ullum ſit frequentius, quam iſtud: non eſt notum, igitur nec eſt verum. Deinde innumera ſunt in hiſtoriis exempla talium prædictionum, quæ omnes characteres genuinæ prædictionis habent, neque aut ſunt temerariæ asſertiones, quæ caſu quodam poſtea impletæ fuerunt, aut propoſitiones generales, & in quemvis caſum applicari idoneæ, aut poſt rem factam demum excogitatæ. Poſſem permulta exempla ex hiſtoriarum monumentis referre: ſed ſufficiet illud ipſum, quod jam allegavi. Ex quo enim vaticinium illud repertum fuit, octo Reges regnarunt in Polonia, qui ita ſinguli deſcribuntur, ut omnino de nemine alio inter Candidatos Regni, imo aliqua vix de ullo alio homine intelligi potuerint. Præter ea, quæ ſupra jam adduxi, Stephano Regi tribuitur vocabulum *Corona*, hæc vero Græce *Stephanus* dicitur. Sigismundo III *Exul fortunatus*, qui patrio Regno exutus, in extero diu & feliciter ſatis regnavit. Vladislao IV *Gloria ſuccedens*, nomen enim ejus ſignificat gloriam potentiæ, quam etiam re ipſa habuit. Johanni III denique *Manus congregatorum*: hic fuit Mareſchallus congregatorum in illis comitiis, quibus Rex creatus eſt. Fateor, longe plura eſſe exempla ineptarum prædictionum. Verum id quidem non probat, quod Aſtrologia ſimilesque ſcientiæ fundamento omni deſtituantur, ſed quod multi pulchritudine earum capiantur easque ambiant, pauciſſimi iis potiantur: id quod laudem earum non minuit, ſed magis etiam extollit. Nam ut quidque eſt nobiliſſimum, ita difficillime paratur, & ea non habenda ſunt formoſa, quæ cuivis ſunt obvia. Auſim dicere, Medicinæ

cinæ non minorem eſſe incertitudinem, quam Aſtrologiæ: quis tamen neget, eam fundamento ſuo niti? Eodem modo nemo inficiabitur, jus in ſe ſatis certum eſſe. Sed qui conſiderat infinitas Doctorum & Judicum diſſenſiones ac præjudicia, orta aut ex diſciplina magiſtrorum & lectione librorum, aut ex odio & amore, quo etiam non corrupti muneribus in hominum certa genera feruntur, ut avarus furem atrocius puniendum cenſeat, libidinoſus meretricem mitius, ut miniſtri Principum aut ad aulam adſpirantes fiſco ſæpe immodice faveant, ut ii, quorum prædia a militibus fuerunt vaſtata, univerſorum, qui ſunt ejusdem vitæ generis, rigidiores eſſe judices conſueverint, & quæ ſunt ſimilia: is non inepte judicaſſe illum exiſtimabit, qui ſententias ſortibus ex urna extractis comparavit. Multas Theologicas veritates in ſacris litteris propoſitas, ſua natura certiſſimas, pauciſſimi mortalium aſſequuntur. In Philoſophia denique innumerorum capitum innumeræ ſunt ſententiæ. Ex quo clariſſimum eſt, ob incertitudinem nullum ſtudium eſſe rejiciendum, imo incertiora ſæpe eſſe præſtantiora reliquis. Probabile etiam admodum eſt argumentum, Aſtrologiam aliasque ſcientias ſimiles non prorſus vanas eſſe, adeoque ab illis, qui certitudinem in iis invenire nondum potuerunt, minime contemnendas, quod permulta exempla in hiſtoriis occurrant virorum prudentiæ & rerum geſtarum magnitudine inclytorum, neque ullo modo inter ſtultos referendorum, qui eis multum dediti fuerunt: e quibus notiſſima ſunt exempla Alexandri, Cæſaris, Matthiæ Corvini, Walleniſteinii, Richelii, ut Reges ac ſapientes Ægyptiorum & Chaldæorum, quorum ſacer codex mentionem facit, iisque ipſe ſapientiam naturalem tribuit, ſilentio prætercam.

XV.

At, inquiunt, ipſe ſacer codex vetat, ne quis Aſtrologiæ ſe dedat, aut ejus peritos conſulat. Et ego idem credo, ſi quis intempe-

Digitized by Google

ſtivo pruritu motus cum contemtu ſapientiæ Divinæ, quæ aſtris dominatur, id faciat, aut peccatum eſſe ſibi perſuadeat: omnis enim actio, nulla excepta, ſi opiner, eam illicitam eſſe, eſt mihi re vera illicita. Si quis autem pia mente ſcrutetur opera admiranda Creatoris, & ſigna eorum, is tantum abeſt, ut peccet, ut potius peccaturus ſit, ſi cupiditatem hanc tam bonam ſupprimat, niſi alia ſint negotia magis neceſſaria, in commodum ſociorum peragenda. Si enim licet noſtris ratiocinationibus ex operibus hominum de rebus futuris judicium ferre, quid impedit, quo minus idem faciamus ex aſtris aliisque ſignis? Præterea ad dicta Prophetarum, quæ contra Aſtrologiam allegari ſolent, reſpondet Theologus & Phyſicus præſtantiſſimus, Johannes Arndius in libris de vero Chriſtianiſmo, diſcrimen ingens eſſe inter directionem Dei immediatam, qua Judæos gubernabat, & poſtea frequenter uſus eſt, atque inter opera ejus mediata ſeu naturæ: illa quidem ex Aſtrologia vel alia quacunque naturali ſcientia inveſtigari nec poſſe nec licere, ſed horum longe aliam eſſe rationem. Idem laudatiſſimus Theologus capite ultimo libri ſecundi, & capite quarto libri quarti de vero Chriſtianiſmo, Aſtrologiæ ſanum uſum contra diſſentientes fuſe defendit, & quod aſtra dent ſigna naturæ, iræ & gratiæ, evincit. Præter hæc duo argumenta, deſumta ab incertitudine & prohibitione in ſacris litteris facta, tertium quoddam objicitur, quod aſtra remotiora ſint, quam ut eorum influxus quidam ad tellurem noſtram pertingat. Enimvero ſentimus omnes, cum aſtra adſpicimus, lumen eorum in oculos noſtros influens eosque ſtringens. Eſt autem lumen inter omnia corpora agillimum, & magnæ, quamvis ſubtilioris, efficaciæ. Fingamus jam, eſſe ſtellam fixam ejusdem cum ſole magnitudinis, & adeo diſſitam, ut non major appareat, quam quadrageſima pars ſolis, uti hic quidem in oculis noſtris videtur. Sequetur quidem inde ſecundum leges proportionis, effectum luminis ceterarumque virium ad nos defluentium quadra-

ginta

ginta vicibus eſſe debiliorem, at prorſus nullum eſſe effectum, id vero neutiquam ſequetur. Idem dicendum erit, ſi ipſum ſolem ita remotum eſſe fingamus, ut quadrageſies minor eſſe nobis videatur. Non ceſſabit ſane, puto, aliquem calorem aliasque qualitates ſub lunam demittere. Si excipiatur, quamvis fieri poſſit, ut præter ſolem ceterorum aſtrorum aliquis ſit influxus, revera tamen nullum eſſe, cum præter tantillum luminis, quod oculi noſtri ſentiunt, ceteroquin nihil prorſus ſentiamus: conſiderandum eſt, quod ſupra jam dixi, non id eſſe ſtatim negandum, quod ſenſibus non percipias. Requiritur enim, ut ſit ſubjectum capax tenerioris influxus. Multa enim ob ſubtilitatem ſuam ſenſus noſtros, quia nimium rudes ſunt, effugiunt, ſed a brutis tamen meliori organo inſtructis percipiuntur, ſpiritusque noſtri animales iis alterantur: uti inter alia patet exemplo morborum contagioſorum, quos B. Arndius *x*) ab aſtris plerumque excitari ſcribit, cum quo idem ſentit Summe Reverendus Gedanenſium Paſtor, Joachimus Weikmannus in libro, quem de peſte edidit. *y*) Ita hyberno tempore ſæpe nullum calorem ſolis ſenſibus noſtris percipimus, ſed operatur tamen calor in corpora etiam non ſentientia: quod ſatis manifeſtum fit, ſi radii ſpeculo cauſtico aut glacie rite parata ſpiſſentur. Sunt & alia argumenta complura, quæ contra Aſtrologos adducuntur, ſed quæ, proſtratis illis, & ipſa ſponte ruunt.

XVI.

Quanquam vero ob cauſſas enarratas Aſtrologia & reliqua ſaniora divinationum genera a nemine rejici debent: fatendum eſt tamen, vanitatem, quæ omnium ſcientiarum communis eſt, in iis eo majorem deprehendi, quo majus eſt regale Divinæ majeſtatis, futura præſcire, & quo major confuſio rerum humanarum omnium metuenda eſſet, niſi Deus exitum futuri temporis cali-

x) de vero Chriſt. II, 58, 5. *y*) pag. 118.

Digitized by Google

ginoſa nocte premeret. Accedit, quod piis precibus & ſeria converſione ad Deum multa mala averti poſſint, quæ ſecundum naturæ regulas non poterant non evenire. Tanta eſt præterea multitudo præſagiorum eventu deſtitutorum, etiam ab illis ipſis autoribus editorum, qui fundamenta ſolidioris Aſtrologiæ penitius ſcrutati & de aliis rebus feliciter vaticinati fuerant, ut qui iis nimium fidit, & eorum incertitudinem non agnoſcit, is deſipere merito ſit cenſendus. Libri, quibus Aſtrologia in formam artis redacta eſt, omnes in plerisque partibus ineptiſſimi ſunt. Pertinet enim Aſtrologia ad illas ſcientias, quas ſi quis ſe tanquam artem e principiis ſuis clare docturum jactet, de eo certiſſime præſumendum ſit, quod nihil adhuc ſciat. Eodem modo tot ſunt exempla hominum, qui metalla ignobiliora in aurum mutare ſciverunt, ut negari non poſſit, eſſe omnino talem quampiam ſcientiam. Sed omnes, qui de hac gloriantur, eamque aliis indicaturos ſe promittunt, mendaces ſunt habendi. Intereſt enim totius generis humani, ne providentia Divina permittat, has artes nimium propalari: quod ſi fieret, facies rerum humanarum incredibiliter immutaretur. Uti vero in ceteris plerisque rebus, ita hic etiam media incedendum eſt via, ut evitatis præjudiciis autoritatis & contemtu ſuo loco relinquamus ſcientiam, nobis quidem & plerisque incertam, vel prorſus ignotam, quibusdam tamen aliis cognitam & in ſe admirandam.

XVII.

Redeo ad inſignia Polonica, a quibus oratio mea occaſione prædictionis allegatæ longius fortaſſis, quam par erat, deflexit. Clypeus totus tegitur corona Regia, ſuper qua in nonnullis typis aquila primæ & quartæ areæ comparet. Sæpe etiam loco coronæ Regiæ tegitur galea aperta coronata, ſuper qua itidem aquila extenditur. Sunt in feneſtra quadam Bibliothecæ Lipſienſis Paul-

na

næ inſignia Barbaræ, quæ filia fuit Caſimiri VI Regis Poloniarum, & uxor Georgii Barbati, Ducis Saxoniæ, adſcripto numero MDXI, quo anno poſt Chriſtum natum picta ſunt. In his e corona galeæ dimidia tantum aquila prodit, ceterum in omnibus deſcriptioni ſupra datæ conformis, niſi quod ſemicirculos trifoliatos in alis gerat: de quo ornatu ſupra jam diximus, eſſe eum phantaſiæ pictoris tribuendum, quia in typis ac deſcriptionibus accuratioribus non reperitur. Videntur enim iſti pictores arbitrarium exiſtimaſſe, ſemicirculos illos, qui abſque dubio ramuſculos arborum referunt, quos aquilarum in domuum venatoriarum arciumque portis affixarum alis olim infigere ſolebant, vel addere, vel omittere. Illud in ſitu aquilæ, quem feneſtra exhibet, ſingulare nec accuratum eſt, quod in utraque area ſiniſtram reſpiciat, ita ut in prima & ſecunda area clypei aquila & eques faciem, in tertia & quarta tergum ſibi mutuo obvertant. Galea magni Ducatus Lithuaniæ itidem coronata præfert tabellam cœruleam octangularem, pennis pavoninis in angulis ornatam, & cruce Patriarchali aurea inſignitam. Ipſe autem eques ibi clypeo deſtitutus eſt. Laciniæ ad utraque inſignia tam Polonica quam Lithuanica pertinentes ſunt rubræ & argenteæ. Telamonum loco interdum adhiberi ſolent duo leones, ſtantes ſub tentorio, quod exterius rubrum eſt & aquilulis argenteis conſperſum, interius autem vellere Pontico fartum. z) Sed hi quidem ornatus maxima ex parte recentioris inventionis ſunt, inprimis quod ad aquilam ſuper corona poſitam & tentorium attinet. Volebam initio adhuc aliqua addere de inſignibus Provinciarum & Palatinatuum, in quos Regnum Poloniæ dividitur. Sed tanta eſt typorum, tanta etiam deſcriptionum varietas, ut certi quid ſtatuere mihi quidem in pauciſſimis liceat. Malui itaque rem totam omittere, quam recenſione tot ſententiarum a me collectarum, quarum quæ ceteris præferri mereatur,

 obſcu-

z) Europ. Herold. tom. 2. p. 329. b.

Digitized by Google

obſcuriſſimum eſt, tædium Lectori creare. Finio piis precibus, quibus anno ſuperiori in oratione inaugurali DEUM ter optimum maximum imploravi. Conſervet magnum ſtudiorum noſtrorum Nutritium, Sereniſſimum Regem ac Electorem noſtrum, eumque omni Divina & humana felicitate & gloria largiſſime beet, ut ſub clementiſſimo ipſius imperio una cum ceteris populis, qui ſceptro ipſius ſubjecti ſunt, pie ac tranquille vitam noſtram tranſigamus. Aquilam Polonicam, quæ per aliquod tempus tot difficultatibus implicita fuit, mox iis omnibus clementer expediat, & ſuper omnia pericula alte evectam in tuto collocet, ac rejuveneſcere faciat. Victricia eſſe jubeat arma equitis Lithuanici, faciatque, ut, devictis hoſtibus, & pace reducta, gladius ejus in aratrum tandem convertatur, utque incolæ ſpatioſiſſimarum regionum, quæ potentiſſimum Regnum Polonicum conſtituunt, frumento, melle ac lacte, quo terræ ipſorum abundant, quiete ac ſecure fruantur. Inprimis Rutam Sereniſſimæ Domus Saxonicæ, a cujus flore flos tot pulcherrimarum Provinciarum, quæ illam reverentur, dependet, tueatur & majoribus in dies incrementis ac felicitatibus ornet atque cumulet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google